



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Disput. 8. De praecepto correctionis fraternae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

eam esse obligationem ex iustitia, quamvis neget obligationem restituendi, idem sentit Sarmento de redditibus Eccles. 3. part. cap. 4. Probatur ratione, nam ille, qui omittit eleemosynam huiusmodi, est causa moralis nocuenti proximo: ergo tenetur de damno: antecedens patet, quia tenetur evitare id, ergo si non facit, est causa. Vnde Innocentius capit. *quanta*, de sententia excommunicationis, dicit esse participem homicidij, qui tenetur vitare, ac potest, & non facit. Et idem sumi potest ex cap. *Non misisti*, de iurisdictione, quod refertur cap. *Passe*, distinct. 86. & confirmatur 1. Nam, qui est in extrema necessitate potest sibi necessaria sumere etiam per vim, quia tunc bona sunt communia: ergo alter detinendo iniuriam illi facit. Confirmatur secundo. Nam potest à iudice compelli ad dandam eleemosynam is, qui dare potest commode: ergo intercedit aliqua obligatio iustitiae: ergo obligat ad restituendum.

Confirmat. 1. *seranda*, 23. quæst. septima, & ex illo Ambrosij, *si non pauperis occidisti*, quod refertur cap. *Passe*, distinct. 86. & confirmatur 1. Nam, qui est in extrema necessitate potest sibi necessaria sumere etiam per vim, quia tunc bona sunt communia: ergo alter detinendo iniuriam illi facit. Confirmatur secundo. Nam potest à iudice compelli ad dandam eleemosynam is, qui dare potest commode: ergo intercedit aliqua obligatio iustitiae: ergo obligat ad restituendum.

Vera sententia 2. Nihilominus respondeo illum non teneri ad restituendum aliquid, ita Soc. 5. de iustit. quæst. 4. ar. 3. Covar. 2. variarum cap. 14. num. 5. Adrian. 4. de restitut. quæst. 1. Nauarr. cap. 24. num. 7. & de redditibus q. 2. sumitur ex Gloss. capit. non inferenda 24. quæstion. 3. & sua dicitur, nam tunc solum obligatur quis ad restituendam damna, quando sequuntur ex actione iniuriola, scilicet contra iustitiam commutativam. Et confirmatur, quia titulus restitutionis tantum est duplex, iniuria acceptio, & res acceptio, ibi autem neuter interuenit. Ad argumentum ex Caietan. & Turrecrem. respondetur, sicut ille, qui subuenire omisit non obligatur ex iniuria commutativa, ita neq. vere facit propriam iniuriam, neq. tenetur ad restitutionem, vel reparationem illius damni, & si fortasse obligatur interdum ex iustitia legali saltem respectu boni communis: at huius iustitiae violatio, non obligat ad restitutionem, ut suo loco dicitur. Ad rationem die, solum probare mortem, vel damnum proximi esse voluntarium omittenti eleemosynam, non tamen esse effectum ab illo, quia ut ego sum causa mortis proximi non satis est velle illam, sed oportet, aliquomodo influere, hic autem non influit physice, ut per se constat, neq. moraliter, quia non facit iniuriam. In capitulis autem citatis modus loquendi latior est aliquanto, nam homicida dicitur, qui quouis modo vult mortem proximi, itaq. solum intenditur illud damnum proximi imputari alteri ad culpam, sed non ad iniuriam. Ad primam confirmationem die, nihil refert, quod in extrema necessitate bona sint communia, nam ex vi illius iuris solum quisq. valet ea primo occupare absq. iniuria alterius, id est, nullam alteri vim faciendo. Ad secundam confirmationem, ut quis possit obligari à iudice, satis esset obligatio iniustitiae legalis, quando necessitas communis intercedit. Præterea leges, & magistratus ciuiles non solum actus iustitiae, sed etiam misericordiae, & temperantiae imperare possunt, & ita nihil sequitur contrarium nostrae resolutioni.

3. Restabat dubium. An saltem habentes Ecclesiastica bona teneantur ex iniustitia ad dandam eleemosynam, etq. adeo si omittant, teneantur ad restitutionem, quod late disputant tum Theologi, tum iurisperiti, & affirmant non pauci. Hic tamen omiffis alijs ad tractationem de redditibus. Solum in genere dico, ex his bonis, quorum Ecclesiastici sunt Domini, teneri ex solo vinculo charitatis, maiori tamen quam alijs, tum quia debent esse Patres pauperum, præcipue Episcopi, ex 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. hospitalalem, benignum &c. Et docet Trident. Sessio 23. capit. 1. de Reformatione, tum quia ratione status debent esse alijs exemplo. Denique quia facilius habent superflua, non enim habent, quibus ex officio

cheshaurizent, & in familia, & statu debent esse moderatiores, ut monet idem Concil. Trident. sessio 25. capit. 1. de Reformatione. Si vero habent aliqua bona Ecclesiastica, quorum non sunt domini, sed illis designata sunt, ut distribuant in pauperes, tenentur ex iustitia dare sub obligatione restituendi, An verò aliqua bona sint huiusmodi, dicitur in materia de decimis. Nostram verò resolutionem tradunt Caietanus quæstione 87 articulo tertio, & 185. articulo 7. Soto libro decimo, de iustitia quæst. 4. articulo tertio. Covarr. de testamentis cap. 10. & libro 2. variarum cap. 17. num. 5. Nauarr. & Sarment. in tractatibus de redditibus Ecclesiasticis, & alijs recentiores.

4. Vltimo est in hac materia aduertendum, quæ hætenus de eleemosyna corporali dicta sunt, et si diligenter videantur peculiariter dici de illis operibus misericordiae, quæ sunt per externas diuitias, tamen eodem modo, & per eandem legem applicanda esse ad ea opera misericordiae, quæ consistunt in actionibus humanis, ut sunt viuicare infirmum, vel in carcere constitutum. Nam hæ actiones sunt bona quædam, quæ tribuimus indigenti. Vnde consideranda est in his necessitas ex parte proximi, id est, An tui indigeat illo tempore, & actione. Idem de aduocato, quando pauperis ius periclitatur, ne defectu patrocinij à potentiore violetur.

DISPUTATIO VIII.

De praecepto correctionis fraternæ.



X dictis in precedenti disputatione colligi satis potest, opera spiritalia a misericordia non minus esse in præcepto, quam corporalia, quia & sunt magis necessaria proximis, & facilius exhiberi possunt sine incommodo dantis, & materia est nobilior. Deinde supponendum est, hæc opera distinguuntur in septem membra, de quorum primo, scilicet de remissione iniuriarum, supra satis dictum est, cum de inimicorum dilectione ageremus disp. 5. sect. 5. & ad idem opus spectat, patenter ferre aliorum molestias, nam hi duo actus fere sunt eiusdem rationis, & hic secundus fere nunquam cadit in præceptum, nisi quando, vel includit primum, vel necessarius est ad vitandum proximi iniuriam, aut aliam inordinationem contra alteram virtutem. De alio opere, quod est orare dicendum est in materia de religione. Quattuor de consolandis afflictis nihil habet proprium, præter generaliter dicta de eleemosyna corporali, nã licet hoc opus ad animam pertineat, tamen præcipue ad corporis necessitatem spectat. Superest igitur dicamus de fraternæ correctione, ad quod etiam reuocabimus duo, consilium dare, & docere, in quibus generales regulæ necessitatis proximi, & facultatis operantis seruandæ sunt; sed quia applicatio earum in correctione fraternæ habet specialem difficultatem, ideo de hoc specialiter agunt Theologi. Tercio est supponendum, duplicem esse proximi correctionem. Altera iudicalem, quæ fit via publica, & tendit non tam in eius emendationem, qui corrigitur, quam in castigationem, & poenam ob commune bonum. Alteram charitativam, cuius finis est bonum, & emendatio eius, qui corrigitur, in qua possunt multi actus intercedere, de quibus primo in genere, deinde singillatim dicemus.

SECTIO I.

Utum hæc fraternæ correctio cadat in præcepto.

1. Et vocabula *correctio* & *correctio* in rigore distinctionem habeant, quam attrigit Aug. lib. 1. de ci-

de ciuit. cap. 9. quod correctio reprehensionem solum, correctio autem emendam simul importet. Theologi tamen promissive ipsi vocibus vtuntur, quando de hoc actu charitatis disputant. Fuit igitur error, hunc actum non solum non esse præceptum, sed esse otiosum, quia sine gratia Dei frater non potest emendari, etiam si corrigatur, & si gratia adit, licet non corrigatur, emendabitur. Ad quem errorem vitandum Pelagius, vt vtilitatem correctionis tueretur, gratia necessitatem negauit, & ad docendam viam mediam scripsit Aug. libros de correctione, & gratia.

1. Conclusio.

2. Dico primo hunc actum honestum esse, & misericordiz, & charitatis. Est de Fide Prouerbiis. 27. Melior est manifesta correctio, quam amor absconditus. Ecclesi. 19. Melius est a sapiente corripi, quam a stulto adulatione decipi. Ecclesi. 19. Qui odit correptionem minuetur vitis, &c. Psalm. 140. Corripet me iustus in misericordia, & cetera. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum, &c. Thessal. 3. Nolite quasi inimicum estimare, hominem scilicet inobedientem, sed corripite, vt fratrem. Deinde communis est hæc in re consensus Patrum, & omnium recte sententiarum, dum non solum in actu signato (vt ita dicam) corripiendos esse momentaneos, sed etiam dum in actu exercitio suis obsequiis exhortationibusque vitia reprehendunt.

Probatur ratio.

Vltimo ratione à priori ostenditur conclusio, nam hoc opus est medium per se ordinatum ad bonum proximi, & de se subleuat miseriam peccantis, impedit offensam Dei, & tollit alijs proximis offensa: ergo perfectissimè habet honestatem charitatis, & misericordiz. Negat argumentum hæreticorum vtget, gratia enim non mouet homines, vt lapides, sed modo accommodato humane nature, vnde correctio de se facit, vt homo se disponat ad gratiam, vel certe non ponat illi obicem. Deinde cum homo facit, quod in se est, corrigendo, Deus adiungit gratiam, si alter non resistit. Sed aduertendum (vt intelligatur, à qua virtute sit ista actio) in illa concurrere, & voluntatem corripiendi, quæ potest esse elicità à misericordia, & imperatà à charitate, & actum intellectus per prudentiam dirigentem exteriori correctionem. Nam in hoc actu non solum concurrent prudentia, vt antecedens voluntas, imperando vt velit corrigere, sed etiam concurrent subsequendo, quia ipsamet correctio debet prudenti fieri: si à virtute est, & ideo, qui vult corrigere necesse est applicare prudentiam ad ipsum actum correctionis, propter quod dixit Ca. et. 2. 2. q. 33. art. 1. hunc actum elici à prudentia, & imperari à misericordia, quod spectat ad modum loquendi. Nam res ipsa conflat ad quam certe maxime spectat, vt in hoc actu circumstantiæ, prudentiæ, & spiritus lenitatis obseruentur. Vide Basil. in id Psalm. 14. Et opprobrium non accepit, dicentem, debere esse correctionem sine vlla exprobratione, & supra dixerat benevolentiam potius, quam seueritatem, cohortationem, quam commotionem, charitatem quam potestatem esse ostendendam. Et eodem modo loquuntur Nazianz. in orat. de moderatione in disputationibus habenda, Leo Papa epist. 84. ad Anastas. c. 1. & alij.

1. Conclusio.

3. Dico secundo, datum esse præceptum de hoc actu diuinum, quam naturale. Primum patet tum ex locis Scripturæ citatis, tum maxime ex Mat. 18. 1. ad Timoth. 5. initio, & 1. ad Thessal. 5. corripite iniquos, &c. idem aperite sentiunt Patres, quoties peccari damnant, qui vtilem correctionem aliorum negligunt, nominatim Chrysost. homil. 60. in Mat. Hieronym. in citatum Psalm. 140. August. serm. 16. de verbis Domini, Gregor. libro 12. Magist. epist. 31. Dices: posse exponi hæc verba pro consilio, quia non videtur esse verbum præceptum. Propterea Soto de regendo seculo, memb. 2. quæstion. prima, conclusione quarta, dicit non esse hæreticum negare hoc speciale præceptum, fortasse intelligit ex vi

Suarez de Charitate.

illius testimonij Matth. 18. Dico tamen simpliciter esse hæreticum negare illud, & ferè hæreticum negare contineri in citatis locis Scripturæ. Vtrumque patet, primo ex tunc citatis: tum quia Theologi ac iurisperiti communiter agnoscunt hoc præceptum. Item verbum (corripere) præceptum est, & materia grauis, & charitati necessaria, vt dicemus, & Luc. 17. eodem tenore præcipitur correctio, & iniuriarum remissio, & ad Galat. 6. huiusmodi construere, &c. subdit, sic enim adimplebitis legem Christi. Tandem ago ratione, confirmando vltimam partem conclusionis, nam hoc non est aliud à præcepto elemosynæ, sed vna ex præcipuis partibus eius, tenemur autem naturaliter etiam præcepto subuenire proximo patienti necessitatem corporalem, vt patet; multo magis ergo patienti spirituale; quod præstamus corripiendo: sic ferè Chrysostom. ead. ad populum arguitur. Aristot. quoque 9. Ethic. cap. 3. scribit præuam amicum corrigendum esse, ac magis iubendum in moribus, quam in pecunijs; dissoluentem amicum amicitiam si negligat correptionem. Oppones: proximus non est in tanta necessitate peccandi, vt non possit ipse sibi subuenire, & bene vtendo sua libertate, & petendo auxilium à Deo. Potest quidem proximus absolute loquendo hoc efficere, tamen interdum est difficile valde, vel propter consuetudinem, vel passionem, vel etiam inaduertentiam. Denique sæpe est euidentis periculum morale, non vsurum proximum ea potestate, nisi aliunde ab extrinseco adiungetur: quamuis enim hoc Deus faciat interius, & Angelus, cultos: tamen etiam vnique mandauit Deus de proximo suo. Vide Chrysostom. 44. in 1. ad Corinth. & orat. 1. contra Iudæos.

Probatur 2. memb.

Responsio.

3. Conclusio.

4. Dico tertio. Hoc præceptum genere suo obligat ad morale, sequitur ex initio præcedentis disputationis, nam præceptum misericordiz, vt ibi dictum est, ex genere suo ita obligat, hoc autem præcipit vnam ex præcipuis misericordiz partibus: ergo. Item grauius obligat, quam præceptum elemosynæ corporalis, cum grauior miseria sit carentia boni spiritualis, quam corporalis, illud autem, vt etiam ostendimus, obligat sub mortali ex genere suo: ergo, &c. Contra: quia ferè nullus est, qui corrigat, & Obiectio. tamen nullus confitetur hoc peccatum: neque confesores interrogant de illo, quod signum est tale præceptum non extare. Respondetur potius timoratos solutio. conscientia interdum se accusare de transgressione huius præcepti & confessorij, si necessarium iudicet, debent interrogare: tamen quia, vt vidimus, obligatio præcepti non frequenter occurrat, & obscurior est, ita, & rarius contra illud peccatur, vnde multi fortasse excusantur.

SECTIO II.

Quenam sit materia huius præcepti.

1. Dico primò. Omne peccatum mortale proximi. 1. Conclusio. Est de se materia grauis, & sufficiens, vt hoc præceptum obliget, ita docent communiter Authores, & colligitur ex illo Mat. 18. *Lucrat vtrius fratrem tuum:* Omne enim peccatum mortale tollit vitam spiritualem proximi: ergo, de se sufficientem inducit necessitatem, vt lucremur illum. Sed aduertendum est, Notia. peccatum hoc posse esse commissum, & iam emendatum, ac sine occasione, & periculo reincidenti, sic verò illud non esse materiam huius præcepti, quia iam proximus non est in miseria & hoc sensu intelligenda est Glossa in cap. si peccauerit, dicens peccatum præteritum non esse materiam correctionis, licet posset esse accusationis, quia illa tendit ad emendationem, quæ iam facta supponitur, hæc vero ad poenam, quæ locum habet, etiam post emendationem. Alio modo potest peccatum esse commissum, sed non emendatum, & hoc potest esse materia cor-

NU 2

rectio.

rectionis, Cap. Cum ex mundo, de hereticis. Ratio est, quia tunc proximus subest in serie, & maxime si sit periculum, reincidenti. Tercio potest esse peccatum nondum commissum, sed tamen in occasione committendi, & de hoc statim dicam.

Errores tres
excluduntur

2. Hinc excluduntur tres errores. Primus est, preceptum hoc obligare tantum in peccatis commissis in propriam iniuriam, propter illud verbum Evangelij, si peccaverit in te, id est, contra te, ut multi Patres exponunt, ut Hieronymus & Chrysostomus. Illo loco, item Ambrosius in cap. 17. Lucæ. Hilar. can. 18. in Matth. sed hic error est contra mentem Christi ponit enim preceptum, non ut quis amoveat a se propriam iniuriam, sed ut lucretur fratrem, qui finis locum habet in omni peccato mortali. Itaque particula in te, exponenda etiam est coram te, id est, cum scandalo tuo: ita plerique Patres, & omnes Theologi, ut Augustinus. serm. 16. de verbis Domini, D. Thom. quodlib. 11. art. 12. Liran. citato loco Matth. & alij.

Legatur Sal-
mer to. 4. in
euangelia p.
3. tract. 11

3. Alter error est materiam huius correctionis esse peccatum ex ignorantia, vel passione, non ex malitia: fundatur, quia cum hoc sit voluntarium, non habet rationem miserie. Sed improbat, quia illa est maxima miseria, ut disp. 4. sect. 1. n. 4. dixi, & maior Dei offensa, & semper interuenit sufficiens ratio inuoluntarij propter aliquam saltem inconsiderationem, & quia licet obiectum sit voluntarium, tamen, & malitia, & multi effectus peccati sunt inuoluntarij, & alibi dicebamus.

Tertius,

4. Tertius est, peccata venialia esse materiam huius precepti, non mortalia: indicat Origenes homilia sexta in Matth. quia peccatum mortale non est peccatum fratris. Sed hoc nihil valet, nam nomine fratris significatur ibi omnis proximus, etiam si sit in peccato mortali. ut pater 2. Thelonicus tertio. Denuntiamus vobis fratres in nomine Domini Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis, & cetera.

2. Conclusio.

Probat ex
Euangelio.

Et ratione.

Obiectio.

Solutio.

Obiectio 2.

Responsio

Syluestri, &

aliorum quos

citatur, & lequi

tur Azor. to. 2

lib. 12. c. 14.

q. 4.

plana respon-

sio.

5. Dico secundo. Peccatum veniale posse esse materiam correctionis, sed non in qua hoc preceptum grauius obligat, prior pars facilis est, & communis, secunda etiam colligitur ex verbis Evangelij, quæ supponunt fratrem perijisse, ut Augustinus. ponderat serm. 16. de verbis Domini, ex illis verbis, lacrimatus est, & ex poena, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Ratio est, quia consulere veniale peccatum non est mortale: minus autem est non corrumpere: item miseria illa leuius est. Obijcies, peccatum veniale est maior miseria quam grauissimum damnum temporale, sed hoc teneor vitare, si possum, sub mortali: ergo & illud. Sed neganda est consequentia primo, quia alijs teneretur etiam quis suum veniale peccatum fugere sub mortali, quod absurdum est, & implicationem continens. Secundo, quia sunt illa mala diuersorum ordinum, atque adeo minime comparabilia, ac preceptum vnicuique accommodandum est iuxta illum gradum, quem habet in suo ordine, ita enim postulat, & recta ratio, & necessitas precepti. Adde denique, temporale damnum, & magis inuoluntarium esse, & difficilius expelli. Secundo obijcies, scpe veniale est dispositio moralis, & proxima ad mortale, ut iurare frequenter, & similia. Ergo tunc saltem erit obligatio ad mortale, quia proximus est in graui periculo, & necessitate. Syluester verbo correctio, q. 1. & Turrecrem. cap. Si peccauerit, & Soto supra, & alij ita concedunt. Dico tamē, qui sic venialiter peccat, aut aduertit periculum suum, & tunc iam peccat mortaliter, quia ut ait sapiens. Qui amat periculum peribit in illo. Eccles. 3. aut non aduertit, ita ut excusetur a mortali culpa, & tunc dari poterit obligatio sub mortali admonendi illum, sed illud non tam est preceptum corripiendi, quam consulendi, vel ostendendi proximo id, quod ignorat.

6. Et simili modo expeditur aliud dubium, An si opus fratris sit de peccato mortali, ille autem excusetur a culpa propter ignorantiam inuincibilem, teneor corrumpere? Respondetur enim preceptum spiritualis misericordie proximi posse habere locum in talia materia, ut sentit Antonin. 2. p. tit. 9. §. 4. Syluester correctio, dub. 10. Angelus eodem verbo nu. 6. sed non esse tam correctionis, quam dandi consilij, vel doctrinæ. Hoc vltimum patet, quia proximus ibi non deliquit, neque perijt. Primum vero constat, quia illa est, quædam proximi miseria, quæ per misericordiam subleuari potest, & debet. Vergebis quæuis sit quoddam malum, non tamen constituit proximum in necessitate, cum excusetur a peccato: ergo non est malum, quod obliget. Respondetur primo, ipsam ignorantiam in rebus necessarijs ad honeste viuendum, ut sunt, quæ diuino, aut naturali iure sunt necessaria ad honestam vitam christianam, per se esse magnum malum, maxime si sit de medijs necessarijs ad salutem, vel multum vtilibus. Præterea interdum ratione ignorantibus subit proximus magnum damnum in bonis etiam corporis, vel vitæ, & honore. Vnde non est dubium, quin possit hoc esse sufficiens materia charitatis, & misericordie, pertinetque ad omnes, qui docere possunt, vel consulere, ut Patres colligunt ex Parabola Matth. 25. de seruo reprehensio, qui vnum talentum abscondit, intelligentes de talento doctrinæ, & obligatione charitatis. Quod preceptum strictius obligat eos, ad quos veluti ratione status hoc munus spectat, de quo D. Th. 2. 2. q. 188. ar. 4. & 5. sed maxime ad eos, qui tenentur ex officio, & iustitia: oportet tamen in hoc seruare circumstantias, de quibus in sect. seq. Sed quæ res, an veniale peccatum sit corrigendum saltem sub obligatione ad veniale. Soto statim citandus affirmat ex illo Iohannis 13. Et vos debetis alter alterius lauare pedes. Sancti enim ibi intelligunt leuius defectus, iuxta illud. Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lauet. Ratio vero est, quia peccatum veniale est deformitas quædam proximi, & potest impedire multa bona. Confirmatur. Nam similiter in miseria corporali eiusdem proportionis si sine causa contemnerem miseria fratris, esset veniale. Respondetur argumenta concludere, posse interdum esse hanc obligationem, præcipue inter eos, qui proficiuntur altiore statu, & inter quos venialia sunt grauiora, atque afferant aliquod scandalum, vel indecentiam: tamen regulariter non est scrupulus habendus in hac re, & iuxta hanc resolutionem procedunt, qui simpliciter aiunt preceptum correctionis non extendi ad venialia, ut Adrian. in quaestione de correctione fraterna §. Quod tertium. Abulen. Matth. 18. quaestione 82. Paludan. quarto distinctione 19 quaestione tertia articulo secundo. Gabriel. section. 74. in can. Syluester. correctione, quaestione 1. Addendum est vltimo, cum Soto de legendis secretis, mēbro secundo, quaestione secunda, conclusionē tertia, & alijs recentioribus, hæc intelligenda esse stando intra limites charitatis, & misericordie: nam si admisceatur obligatio iustitiæ interdum potest aliquis obligari ad corrigenda hæc venialia peccata, ut accidere potest in superiore religionis, qui ex officio, & iustitia tenetur curare non solum, ut subditi vitent mortalia, sed etiam ut ad perfectionem tendant, atque adeo, ut vitent impedimenta, quapropter, si nimium se gerat prælatus negligenter, & maxime si defectus sint generales communitatis, poterit esse obligatio sub mortali ad corrigenda illa, quam obligatio aliqui extendunt ad priuatas personas, sed non ita existimo, nisi habeant in aliquibus actionibus vicem prælati, obseruando nimirum aliorum defectus, vel etiam interdum teneantur illi sui officij admonere: e de ceteris enim plusquam verum est non enerualiorum vitam scrutari, ut docet D. Th. 2. 2. q. 33. ar. 2. ad 4. ex Salomone, & Au-

Debitum, de quo in simili sententia. Syluester. 2. p. tit. 9. §. 4. Syluester. correctio, dub. 10. Angelus. eodem verbo nu. 6.

in iustitia & iustitia.

An veniale peccatum corripitur sub obligatione ad veniale.

Verba resolutio.

Obiectio etiam.

Verba citata.

Nota.

Nota.

& Augustino, Gaetano in summa, verbo *correctio fratris*. Syluest. eodem verbo n. 3. & alij.

SECTIO III.

Quando, & cum quibus alijs circumstantijs obliget hoc preceptum.

Dico primo. Ante omnia necesse est, vt delictum proximi sufficienter constet, vt innuat illo verbo Euangelij, *In te, id est, coram te*, vt ex citatis precedente sectione, num. quarto habetur. Ratio est, quia alijs esset temeraria, nec sine iniuria correctio. Quæ res: quæ sit ista cognitio, Adrian. supra §. *Sed hec opinio*, responderet esse probabilem coniecturam: hæc enim sufficit ad preceptum Eleemosynæ corporalis, Soto de secreto memb. 2. quæst. 2. conclusio. quarta, requirit certam cognitionem, quæ intelligitur de morali certitudine, & regulariter est verius, quia correctio de se est odiosa, & a se verecundiam alteri, & nisi prudenter fiat, est quoddam genus contumeliaz, in quo multum differt ab alijs eleemosynis, & ita ante Sotum senserunt Germani de vita spirituali, tractat. 24. Affens in summa. lib. 2. tit. 6. cap. quarto, & tandem Nauarr. cap. 14. num. 12. si tamen delictum apparet graue, & magni periculi, vel cum esset spes emendæ, & nullus timor exacerbandi proximum, habere posset locum sententia Adriani, quare in indiuiduo prudentia opus est.

Dico secundo. Præter notitiam delicti est necessaria spes fructus, & emendationis. Est contra Panormit. cap. *Novit*, de iudicijs, qui ait, et si constet proximum non fore emendandum, obligari ex precepto, quia hoc preceptum tendit vsq; ad excommunicationem: corrigendus ergo prius erit vt iuste excommunicetur. Est etiam contra Adrian. qui vult, si non sit timor detrimenti proximi, etiam si non sit spes boni, obligare preceptum, quia cessante in indiuiduo fine legis, non cessat obligatio legis: sed conclusio est communis cum D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 6. & patet ex illo Prouerb. 9. *Noli arguere derisorem*, &c. Ratio est, quia talis actus esset otiosus, vnde non tantum negatiue, sed etiam positinè seu contrariè cessat obligatio legis, & esset dare *Sanctum canibus*. Præterea cessante intrinseco fine legis, cessat obligatio, sed intrinsecus finis correctionis ibi cessat; nam potius laedo, quam proficiam. Dices: Deus sepe corripit hominem: quem scit non esse emendandum. Respondetur primo ipsum esse vniuersalem causam, ad quem spectat influere sufficientia auxilia, & generalia non cohibere. Secundo semper Deum habere aliquem fructum, si non in emendatione peccatoris, saltem in ostensione suæ voluntatis, atq; etiam iustificare causam suam. Tertio, si consideretur præciue voluntas Dei corripientis hominem, in illa, vt sic, non posse desperari fructum; quod vero illi adiungatur scientia, nihil refert ad prudentiam, & honestatem illius correctionis.

In hac tamen conclusione notandum primo, non esse existimandum nocumentum proximi, tristitiam aliquam, vel etiam iram cum aliqua culpa: nam si tandem speretur emendatio, corripitur debet, quia hæc per accidens sequantur, & propter maius bonum permitti possunt: prudenter tamen curandum est, ne sequantur quantum fieri possit. Secundo non oportet, vt hæc spes sit prorsus certa: quia hæc certitudo vix haberi potest, satis est ergo probabilis spes, quod poterit prodesse, & non obesse, vt D. Th. 2. 2. q. 33. art. 2. ad 3. docet, & cum eo Soto, Adrian. & alij, & consentit August. 1. de ciuit. cap. 9. dum illos damnat qui in eum leuiter proximum corripere, cum forte possent corripiendo corrigere, & infra monet, abstinendum non esse a correptione, quia, inquit, *semper incertum est an voluntatem in melius sit mutaturum*.

Sentes de Charitate.

ubi pondero voces *fortasse*, & *incertum*. Ratio est, quia charitas postulat, vt in necessitate proximi id fiat, quod fortasse poterit illi prodesse, & non potest obesse. Vnde non est cur cesset obligatio precepti in tali casu. Item ad alias actiones humanas grauissimas sufficit hæc spes, vt ad medicinam dandam, ad bellum mouendum, &c. Sed, vsu verò esset, si res esset dubia, & tam probabiliter timeretur damnum, quam fructus: tunc enim vitanda esset correctio, quia in moralibus idem est damnum facere, & exponere se illius periculo; quamuis, quando negotium versatur inter spem, & timorem oportet prudenter pensare necessitatem, & commodum, vel damnum, &c. atq; si sit periculum mortis perpetuæ, sine formidine adhibenda est correctio in quocumq; dubio, sicut medicus corporalis in re desperata potest experiri medicinam dubiam, vt ex doctrina de conscientia satis constat.

Tertio, vt ad Panormitan. respondeamus, aduertendum est, non oportere, vt fructus statim speretur per correptionem meam, sed satis est, vt speretur in progressu. Vnde si occurrit corrigendus aliquis, quem transacta hac occasione non videbo amplius, si non speretur quidem fructus, statim cessat obligatio, quia iam non possum progredi, tamen si persona corrigenda talis est, vt possit quis progredi in correptione cum illa, quamuis per primum, & secundum actum non speretur fructus, si tamen speratur, vel per vltimum, curanda est correctio. Ita D. Th. in 4. di. 19. q. 2. art. 1. & breuiter 2. 2. q. 33. art. 2. ad 3. Adrian. de correctione, artic. 3. & Soto supra, item Syluest. verbo *correctio*, nu. 2. Nauarr. cap. 24. nu. 13. Ratio est, quia alijs illi actus correctionis numquam caderent in preceptum. Item, quia tunc ille actus est misericordiz, & necessarius ad bonum proximi; secus verò esset si nec per excommunicationem speraretur fructus; nam tunc cessandum est, quia hoc loco, excommunicatio non sumitur, vt poena, sed vt medicina, 1. ad Cor. 3.

Et iuxta hæc explicandum est, quod D. Thom. dicit articulo illo secundo ad 3. aliquos timore, aut verecundia omittere correptionem, sine peccato mortali, quia licet fortasse sit aliquis defectus, tamen est ferè naturalis, & inuoluntarius, & ab illo ita impeditur homo, vt sit inefficax ad corripendum, & ita caret spe fructus, & quamuis hæc carentia spei proveniat ab ipso homine, tamen quia vix est in hominis potestate vincere illum timorem, aut cum illo fructuose corripere, ideo excusatur saltem a mortali. Quod verò Caiet. eo loco dicit, si quis ex quadam tepiditate omittat correptionem in re graui, leuiter iudicans se non posse consequi finem, tantum venialiter peccare, *quia non habet* (inquit) *animum contrarium precepto*, sano modo intelligendum est. Non enim omnis persuasio leuis cum illo animo excusat a transgressione grauis precepti, vt si quis ex leuissimis causis sibi persuaderet non posse resistere, aut ieiunare, &c. Nam illa ignorantia est culpabilis, ergo oportet, vt indicium sit saltem probabile, quamuis eius probabilitas interdum nascatur ex leui timore, quem tamen, vt dixi, vix possit deponere talis timidus.

Quarto addendum est in hac conclusione hæc intelligi in correptione priuata, quæ ad vnius, vel alterius personæ emendationem refertur. Secus verò, si esset faciendi de peccato publico, propter commune bonum: nam tunc licet non speraretur fructus vnius peccatoris, non esset omittenda correctio: sic enim Christus Matth. 15. respondit, *Similes illis, cæci sunt*, &c. Obseruandum est tamen, an speretur fructus saltem in alijs, quia si neque commune bonum speratur, tunc inutilis esset correctio, iuxta Hieronymum in illud Amos quinto, *illo tempore tacet prudens*. Ex quibus omnibus tandem deducitur, preceptum hoc non obligare statim, ac videtur, vel

Na § auditur

auditor peccatum alterius, sed expectandum esse tempus commodum, in quo possit fructus sperari, iuxta illud Prouerb. 25. *Mala aurea, &c. Qui loquitur verbum in tempore suo, & tradit optime Aug.* citatus in n. 3. Sed difficultas superest, An oblata hac opportunitate statim obliget.

1. Conclusio. 7. Dico tertio. Præter spem fructus, vt obliget hoc præceptum, necesse est, vt proximus indigeat mea correctione, quia videl. probabiliter timeo, nisi corrigam proximum, similia peccata commissurum, vel certe longo tempore, & cum graui damno suo, in eo peccato permansurum. Probatur primo, quia est præceptum affirmatiuum misericordiz, ergo nõ obligat nisi iuxta regulas similium præceptorum, ergo tantum in articulo necessitatis. Confirmatur, quia non aliter obligat præceptum orandi pro proximo vt alibi explicatur. Secundo, si scio fratrem esse emendatum absq. occasione reincidenti, non teneor corripere, quia non eget; ergo eadem ratione si nunc video peccasse, tamen probabiliter existimo suo tempore acturum poenitentiam, & ex hoc peccato non sumpturum occasionem peccandi, non teneor illum corrigere.

2. Conclusio pro qua bene author disp. 16. de poenit. sed, an, 39. 8. Dico quarto. Si sit necessitas, & dicta opportunitas, cum his circumstantiis, pro statim obligat hoc præceptum. Est communis sententia, ex generali principio de articulo obligationis præcepti affirmatiui, qui is maxime est, cum necessitas, & opportunitas illius exequendi conueniunt. Nam dato articulo necessitatis, nihil aliud rationabiliter expectari potest, præcipue quia opportunitas fructuosa correctionis difficile inuenitur, & ideo cum probabiliter occurrit, & necessitas urget, non licet eam præterire. Ex quo fit, posse interdum hominem teneri ad corrigendum statim proximum, quamuis ipse non teneatur ad agendam veram poenitentiam statim: nam ipse est Dominus suæ voluntatis, & potest semper habere tempus opportunum, vt poeniteat, & si nunc non poenitet, forte excusatur, quia non aduertit periculum, in quo versatur, & potest cedere suo iuri. Alter autem non semper habet eam opportunitatem, & non potest cedere dicto bono alterius, & ideo tenetur fratrem admonere.

Difficultas quedam proponitur. 9. Solum poterat dubitari si quis certo credat, differendo correctionem fore vt proximus aliquo tempore duret in peccato, vel iteret, postea tamen constantius, & feruētius resurgat, quam nunc faceret, si statim corripere, An possit differri correctio, etiam si nunc sit spes. Adrian. & Sor. supra affirmant, quia hoc est vtilius proximo. Itē quia Deus ita facit, iuxta id Pl. 15. *Multiplicata sunt iniquitates eorum, postea acceller auerunt.* Quo modo Aug. lib. de corrept. c. 1. & alij interpretantur illud ad Rom. 3. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Item medicus interdum permittit ingrauescere morbum, vt consumat prauum humorem. Nihilominus alijs hoc non placet, quia cum peccatum sit Dei iniuria, & magnum malum proximi, non debet ad horam permitti propter maius commodum, quia de se non est medium ad tale commodum, sed potius impedit illud, & ex illo bonum elicere est propriū Dei, & ideo tali medio vti, Deo videtur relinquendum, vt proprium, sicut etiam Deus permittit vnum peccatum, vt poenam alterius, quod homo facere non potest.

Opinio. Inter has duas sententias dicere. Si spero me statim posse emendare fratrem, vt moraliter vitetur omne periculum peccati mortalis in futurum non esse differendam correctionem propter opportunitatem, & spem maioris utilitatis, quod recte probat ratio vltimo facta. Si tamen spero nunc fore emendandum, tamen postea facile casurum: alius verò differendo, spero stabilius, & constantius surrecturum, differendam censo correctionem, quia non permittitur peccatum propter maius commodum, sed ob vitanda maiora, & plura peccata. Et ex his patet quale peccatum sit omisio huius præcepti, & quando incurratur, & quomodo; An verò obligetur quis ad corripiendum, cum proprio aliquo periculo, & damno ex regulis tradendis de ordine seruando in eleemosynis disputatione sequenti, constabit.

SECTIO IV.

Quas personas obliget præceptum fraternæ correctionis.

1. Prima sententia est obligare tantum sacerdotem, & prælatos. Ita Glossa cap. *Tam sacerdotes*, 24. quæst. 3. exponens verbum *Fideles*, id est, Prælatos: imo in cap. *Ita plane*, 23. quæst. 4. verbo *Personam*, dicit tantum obligare prælatos. Tribuitur etiam hæc sententia Innocentio cap. *Novit*, de Iudicijs, & Angelo verbo *Denuntiatio*, sed immerito. Vt eos legenti constabit.

2. Secunda sententia dicit tantum obligare iustitiam: fauet Abulensis Matt. 7. quia Scriptura reprehendit peccatores, qui audent alios corripere, Ioā. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, ad Roman. 2. *In quo alium iudicas, teipsum condemnas*, & ad Galat. 6. dicitur. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite*, & ad Roman. 15. *Et inuicem debemus inuicem sustinere infirmorum sustinere.*

3. Dico primo, præceptum hoc obligare personas omnes idoneas ad corripiendum, etiam si ex officio alijs non teneantur. Ita D. Th. citato art. 3. cum Aug. 1. de ciuit. cap. 9. Chryost. hom. 3. ad Hebræos, item Anaclæus Papa citato cap. *Tam sacerdotes*, dicit obligare omnes fideles, intelligiturq. vt est præceptum Euangelicū: nam vt est naturale etiam infideles obligat. Deniq. sumitur ex Ecclesiast. 7. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, vtrq. non minus in spiritualibus quam corporalib. necessitatibus. Prima ratio est, quia vis huius præcepti fundatur in charitate, & misericordia, non in officio. Secundò, Eleemosynæ corporalis obligatio ad omnes facultatem habentes se extendit: ergo, &c. Quare contraria sententia Glossæ proflus est falsa, & improbabilis, nec textus, quos citat sunt ad rem, qui loquuntur de iudiciaria correctione, quæ est propria prælatorum.

4. Dico secundò, Præceptum hoc magis obligat prælatos, quam alios, & proportionaliter magis patet circa filium, Dominum erga seruos: ita D. Th. 2. 2. q. 33. art. 3. ad 1. citans Aug. & sumitur ex Gregor. Magno cap. *Quantum causa*, extra de regulis iuris. Ratio est 1. quia ipse ordo charitatis ita postulat. Secundò, quia hæc personæ sunt magis idoneæ regulariter loquendo. Quia ratione etiam interdum seniores, vel qui habentur in veneratione strictius obligantur, & eodem modo D. Th. art. 5. cum Aug. super 1. Ioan. 3. dicit interdum obligare præceptum hos perfectos, cum non obliget imperfectos. Sed aduertendum, prælatos simul obligari posse, & præcepto hoc misericordiz, & præcepto iustitiæ ratione officij. Inde fit, vt obligentur ad aliquos actus, ad quos non obligantur non prælati, vt ad inquirendum sine infamia, & prudenter, pro ratione criminum. Vnde obligatio hæc prælatorum dupliciter dici solet maior, nempe intensiue: quia in singulis actibus est grauior, & extensiue, quia ad plures actus se extendit: sed 1. argumentum est in ipso præcepto charitatis, propter rationes dictas, secundum autem vt Caiet. bene notauit, & sentit D. Th. art. 2. ad 4. licet Soto supra, contrarium teneat, præcise oritur ex iustitia, quia præcise oritur ex officio. Item quia charitas, quæ communis est, ad communes actus tantum obligat, cuius signum est, quia nunquam obligatio ad inquirendum, & ad similes actus separatur ab officio, & obligatione iustitiæ, sicut etiam prælati tenentur punire subditum ex officio: nõ vero ex propria obligatione.

obligatione charitatis. Dico autem propria, quia si consideretur charitas, ut est generale principium mouens iustitiam, & alias virtutes ad suos actus, sic etiam se extendit ad hunc actum.

5. Ex quo obiter expeditur aliud dubium, An praefatus omittens corrigere subditum tunc, cum ex iustitia tenetur, committat duo peccata, vel duas malitias, alteram contra iustitiam, alteram contra Charitatem. Et videtur solum contra iustitiam committere, quia tunc ille proprie non tenetur ad actum misericordiae, quia non tenetur ad actum liberalem, neque tenetur subuenire ex propriis, sed quasi debitum restituere. Et hoc meraphysice defendi posset, tamen magis moraliter, & practice dicitur, si consideretur generale praeceptum charitatis, transgressionem illius non addere nouam malitiam. Si tamen consideretur proprium praeceptum misericordiae, & iustitiae, ibi esse duas malitias, alteram contra iustitiam, ut per se notum est, & alteram contra misericordiam, quia re vera peccat contra particulare praeceptum eius. Sicut si quis debitor haberet creditorem, cui ex iustitia hic, & nunc tenetur restituere, & praeterea in tali necessitate existentem, ut eadem ex misericordia subuenire tenetur, & tamen non subueniret, saltem restituendo, certe peccaret contra iustitiam, ut per se notum est, & praeterea contra misericordiam, quia reuera peccat contra particulare praeceptum eius, quod simpliciter obligat ad subueniendum quacunque via id fiat: & saltem non est mihi dubium, quin ille talis non satisfacere in confessione dicendo se non restituisse, quando tenebatur, sed debere explicare non subuenisse proximo in tali necessitate: idem autem est proportionaliter in proposito, quando obligatio ex officio est ad eum actum, ad quem obligaret charitas, etiam si officium non adesset.

6. Dico tertio. Non solum iusti, sed etiam peccatores obligantur per se loquendo, hoc praecepto. Est conclusio communis cum D. Thoma 2.2. qu. 8. 33. articulo 5. Richard. 4. distinct. 19. articulo secundo. qu. 2. Palud. qu. 3. artic. 3. Gabriel in Canone 74. Syluest. correctio ad finem. Sor. de Secreto, memb. 2. qu. 3. conclusio 6. & aliorum. Vnde iuxta hanc conclusionem explicandus est articulus tertius eiusdem D. Thom. ubi dicit hoc praeceptum obligare eos, qui habent charitatem, affirmat enim hoc, sed non negat aliud. Ratio est, quia praecepta Misericordiae, & Charitatis omnes obligant. Item, interdum peccator est aptus ad corrigendum, ergo positis aliis circumstantiis obligabitur. An vero teneatur prius poenitere, quam corrigere. Dicendum per se non teneri, si peccatum sit occultum. Caietanus tamen excipit correctionem publicam, quae fit à concionatore in tertia parte qu. 64. articulo sexto, & opusculo specialiter de haere, & Syluest. verbo correctio §. 16. qui etiam excipit correctionem Praelati iudicialē, sed utrunque falsum est secluso scandalo, quia illae actiones per se non sunt tales, ut requirant in operante gratiam: per accidens vero ratione scandali, si quis sit in peccato publico, vel certe notu ei, qui corrigendus est, vitanda est correctio, interdum tamen poterit aliquis ad hoc obligari.

7. Sed tunc occurrit aliud dubium, An si aliquis ratione peccati proprii sit ineptus ad corripiendum, teneatur agere poenitentiam, ut fructuose possit corrigere indigentem. Doctor Sanctus in quarto, distinctione 19. infinuat teneri, Richard. ibi articulo secundo, qu. 3. conclusio 2. ad primum, Paludan. qu. 3. conclusio 3. quos etiam Soto supra adducit. Accedere videtur Nauarr. cap. 29. num. 12. quatenus ait peccatorem non excusari à praecepto correctionis, cum possit diuina gratia poenitere. Fundamentum est, quia nemo debet excusari ab

obligatione praecepti propter peccatum proprium, sicut etiam prodigalitas non excusat à transgressionem praecepti in elemosyna corporali, Contrarium tenet idem Soto, excipiendo eos, qui ex officio tenentur corrigere, qui tenentur poenitere, quando alii idonei non sunt ad corrigendum. Fundamentum est, quia, qui caret pecuniis non tenetur illos querere, ut faciat elemosynam, etiam si prius peccasset, illas prodigendo, neque qui est ignorans tenetur addiscere, ut alios doceat. Censeo tamen extra casum necessitatis extremae hoc secundum esse verum, tamen si proximus sit in casu extremae necessitatis, & periculo mortis perpetuae, prior sententia sequenda est, quia in tali necessitate teneor querere vnde subueniam proximo. Instabis, quia sufficienter subuenio proponendo veritatem per scientiam, & rationem, quam habeo, etsi non habeam gratiam: quod si ille non amplectitur correctionem, sibi imputet. Nam in illo articulo non debet considerare vitam loquentis, sed veritatem. Fateor quidem illum etiam peccare non admittendo correctionem à quousque fiat, tamen quia illa est naturalis fragilitas, & conditio humana, & alias est periculum grauissimum, & extremum, Charitas obligat ad miserendum, praesertim, quia quodammodo coniungitur tunc praeceptum non scandalizandi, quatenus ille exemplo vitae suae facit, ut proximus summe indigens correctione eam non complectatur, quod est quoddam genus scandalizandi: tenebitur ergo corrector se ipsum prius emendare, quatenus opus fuerit ad correctionem alteri extreme necessariam fructuose impendendam, iuxta illud Matth. 7. *Et ecce primum trahem de oculo tuo, & tunc videbis etc.*

SECTIO V.

Ad quos corrigendos obliget hoc praeceptum.

1. **T**ria genera personarum considerare possumus subditos, superiores, & aequales. Dico conclusio. **Prima conclusio.** Hoc praeceptum obligare ad corripiendas quaslibet eiusmodi personas, si egeant correctione. Probatur, quia praeceptum hoc respicit miseriam spiritualem proximorum in vniuersum, omnes autem praedictae personae proximi sunt proprie, & praeterea sunt capaces miseriae spiritualis, siue peccati: ergo respectu omnium illarum praeceptum naturaliter obligat. Peculiariter autem respectu superiorum (quod difficilius videri posset) suadet conclusio, quam etiam Diuus Thomas qu. 3. articulo 4. docet: suadet (inquam) primo ex visu Scripturae Isaia primo. *Audite principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei.* & ex aliis testimoniis non raro. Idem sumitur tum ex D. August. in regula seu in epistola 109. ad monachas quasdam. *Non solum vestri, sed etiam praelati misereamini, qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur.* Et in epistola decima nona, capite secundo, ad finem laudat Petrum, quod à Paulo sibi inferiore non dedignatus est corripi, *Atque ita, inquit, variis, & sanctum exemplum posteris praebeuit, quo non dedignarentur, si ubi forte recti transiit reliquissent, etiam à posterioribus corrigi etc.* Tum etiam ex Gregorio statim citando, & in 4. part. pastoral. cap. 1. admonitione quinta: ac tandem lib. 5. moral. cap. 10. Ratio est, quia ad hunc actum correctionis non requiritur iurisdictio, sed fundatur in coniunctione charitatis, quae ceteris paribus debet esse maior ad superiores, quam ad alios. Item saepe ipsi magis indigent, quia, & in maioribus periculis versantur, & pauciores sunt, qui audeant loqui: ergo non solum est haec obligatio, sed maior.

2. Obiicitur nam saepe Patres videntur reprehendere correctionē subditorum erga praelatos, & ratio

Non est.

Obiectio soluitur.

est, quia talis actio videtur esse contra reuerentiam praelatorum. Respondetur, duo intendere Patres: primum in huiusmodi actibus cauendam esse omnem irreuerentiam, & audaciam, atq; adeo accedendum esse simplici, & humili animo admonendo potius, quam reprehendendo. Vnde Gregor. vt habetur in cap. Sicut. 2. quæst. 7. *sicut laudabile est debitam reuerentiam exhibere pastoribus, sic rectitudinem;* & Dei timor est, vt si qui sunt in eis, qui indigeant correptione, nulla dissimulatione postponatur, ne totum corpus morbus iniudat: si languor non fuerit curatus in capite, quam sententiam repetit Nicol. 1. in sua epistola ad Michaellem Imperat. Secundò inteadunt correptionem iudicialem pertinere ad subditos, imò etiam Anacletus, & Fabianus uterque in epistola sua secunda, quæ habetur in tom. 1. epistolarum Summorum Pontificum volunt subditorum accusationem non facile esse admittendam in iudicio contra praelatos, quæ est res valde suspecta, in quo iam virtute, multo ante damnarunt errorem VViclephi, dicentis praelatos peccando definire esse praelatos, de quo suo loco agitur.

Lib. 1. de legibus c. 10.
& lib. 4. c. 2.

SECTIO VI.

Verum ordo correctionis fraternæ cadat in præceptum.

1. Vinque actus notandi sunt in hoc ordine, ex Mattheo 18. Primus est admonitio secreta. *Corripe eum inter te, & ipsum solum.* Secundus correptio coram vno, vel duobus testibus adhibitis. Tercius denuntiatio. *Dic Ecclesie.* Quartus correptio Prælati. *Si Ecclesiam non audierit.* Quintus coactio per excommunicationem. *Sic tibi tanquam Ethnicus.* Qui omnes actus per se singuli cadunt sine dubio in præceptum, quia eodem tenore omnes proponuntur, & omnes fundantur in charitate, & misericordia. Quare licet determinatio, & modus horum actuum, vt in Euangelio proponitur, aliquid contineat positium, tamen substantia etiam fundatur in ratione naturali, quia obligatio charitatis, & iustitiæ suo modo naturalis esse potest. Secundò, quoniam præcipua difficultas consistit inter admonitionem, & denuntiationem, sciendum est tres esse vias, quibus delicta subditorum innotescunt superioribus, scilicet *Inquisitionis, accusationis, & denuntiationis* ex Cap. Nouit de iudiciis. Denuntiatio autem duplex est: vna Euangelica, quæ fit superiori, vt patri: alia iudicialis, quæ fit illi, vt ex iudicio procedat, de quorum differentia, & de differentia huius denuntiationis ab accusatione multa dici possent, sed infra quæstione 68. in materia de accusatione suum habent locum. Nunc hæc differentia sufficiat, quod denuntiatio iudicialis tendat ad bonum aliorum, præcipue commune, vel ipsius denuntiantis, denuntiatio autem Euangelica per se primò tendit ad bonum denuntiati. Et interdum, quod considerandum est, facile fit transitus ab vna ad alteram, vel vna cum altera miscetur. Tertio aduertendum est, delictum posse esse publicum, vel occultum: sed hoc multipliciter, quoddam enim est publicum, quod dicitur à iuristis publicitate facti, quia ita percrebuit fama, vt nulla tergiversatione celari possit. Alterum est publicè iudicè, quia per sententiam publicam est frater condemnatus de illo crimine. Tertio est publicum, quia à multis scitur, & in iudicio probari potest, tamen non est notorium, & hoc dicitur publicum in iure, sed occultum respectu. Aliud est occultum vno tantum sciente præter enim, qui potest denuntiare. Aliud est ita occultum, vt ab vno solum sciat: nam si à solo delinquente scitur, non pertinet ad præsentem considerationem, & idem est quando multi sunt complices eius delicti, & nullus alius scit.

Notatio 1.
quodupliciter delictum dicatur publicum, vel occultum.

Notatio 2.
de triplici via delationis delicti.

2. Dico primò: ordo fraternæ correctionis assignatus loco citato Mathei simpliciter cadit in præceptum per se loquendo, ita vt non liceat aggredi secundum actum nisi præmissis primo, quando ille non fuit efficacax, & idem est de secundo respectu tertij, tertius enim respectu quarti est omnino necessarius, conclusio est certa, & Theologorum omnium cum Diuo Thoma 2. 2. quæst. 33. articulo 7. & 8. & constat ex variis cap. decreti citatis initio sectio. 4. & ex Patribus August. serm. 16. Hilario Can. 19. in Mattheum, Gregorio IV. Registri epistola 36. in fine, & Chrysostomo homilia 62. in Mattheum cum Anselmo; Remigio, & aliis, qui eodem modo hoc præceptum explicant. Probatur primò ex textu Evangelico, nam eodem modo præcipitur ordo quo singuli actus recensentur: ergo sicut singuli cadunt in præceptum, quando occurrit necessitas illos exercendi, ita etiam cadit ordo non prætermittendi antecedentem, vt exerceatur consequens. Ratio verò est, quia correptio, quando procedit ad testium inductionem, vel denuntiationem, incipit lædere proximum in fama: charitatis autem ratio postulat, vt si fieri potest, subueniamus proximo absque læsione famæ: quod certe obseruatum est in illo ordine à Christo Domino, idem enim primò admonetur delinquens secretò, vt si fieri possit nullus alius sciat, quando verò oportet adhibere aliquem, prius adhibetur testis, quam denuntietur, propter eandem causam praelatus quoque tenetur præmittere admonitionem ante excommunicationem, quia excommunicatio est acerbissima poena, vnde ratione etiam officij tenetur prius tentare, si potest corrigere subditum suum medio, quæ omnia bene confirmat Diuus Thomas exemplo medicinæ corporalis: quare meritò reprehenditur Bernardus quidam de Arevalo negans hanc conclusionem in suo tractatu de correctione fraternæ. Sed obseruandum est, hoc præceptum esse affirmatiuum, & idem non semper obligare, sed quando charitas, & recta ratio illud dicat. Vnde si interdum occurrant circumstantiæ, in quibus recta ratio dicet licere, vel expedire mutare hunc ordinem, tunc non obligabit hoc præceptum, vt notat D. Thom. quodlibeto 11. artic. 13. ad finem, imò erit inutile, & aliquando perniciosum talem ordinem seruare, vt etiam graues scriptores notantur. Difficultas ergo est quando liceat mutare hunc ordinem.

3. Dico secundò. Si delictum proximi sit publicum, publicè statim corrigi potest sine secreta admonitione præmissa, ita Diuus Thomas, & omnes Theologi in quarta distinctione 19. & Canonistæ agentes de correctione iudic. patet prima ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, vt ceteri timorem habeant,* quo modo intelligitur illud Leuit. 10. *publicè corripe fratrem tuum, &c.* idem vt Augustinus notat. Christus addidit illam particulam *in te*, vt significaret se loqui de occulto peccato. Ratio est, quia hæc correptio publici peccati non tam ad bonum eius, qui corripitur, quam aliorum refertur, vt Paul. indicauit, *vt ceteri timorem habeant:* præsertim, quia si peccatum est publicum, iam proximus diffamatus est, vt contra illum possit iudicialiter procedi. Confirmatur à simili ex capitulo primo de penitentia, & remissionibus, ubi publicè peccantibus publica penitentia iniungenda dicitur. Ex quo intelligitur, ita debere esse publicam correptionem, vt peccatum est publicum. Vnde si non sit notorium priori modo ex assignatis in num. 1. non licet illum omnino publicè corrigere, si autem sit ita publicum, licebit. Denique semper pro ratione scandalis, & necessitatis adhibenda est correptio.

4. Vnde dicitur aliqui, quando peccatum est notum duobus, verbigratia, non oportere seruare elationem illum primum actum, sed statim posse adhiberi illos duos

Conclusio
certa, &
communis.

Probatur
ex citato
Matth. loco
& ratione.

Salmeron
4. in Euangelio
110 p. 3. art.
1. d. 1. q. 1.
Valentini
1. d. 1. q. 1.
2. d. 1. q. 1.
D. Thom. 2.
aliquam.

Aug. 8. d.
de vera
Domini
eius recte.

Confirmatur
ex citato
de penitentia
& remiss.

Quomodo
illud est
elationem.

duos testes, quod fortasse verum est, si necessitas in-
stat ad vitandum eorum scandalum, tamen secunda
hanc necessitate consultius erit servare ordinem Eu-
angelij, quia licet tunc verè non corripiatur proxi-
mus murando ordinem, tamen quoddam genus
contumelie, & maximi pudoris patitur, quando
coram aliis reprehenditur, & ideo melius erit sin-
gulis occultè subuocare, & sub veniali saltem erit
obligatio: raro tamen sub mortali, & eodem modo
dicunt Paludanus in 4. distinctione 19. quæstione 4.
& Adrianus de correctione fraterna, secunda par-
te, quæstione prima in publicis peccatis, si posset
subueniri, & proximo, & scandalo publico, sine pu-
blica reprehensione, nimirum secretè corrigendo
fratrem, & efficiendo, ut ipse suo bono exemplo
tollat scandalum, ita esse seruandum; quod verum
est, sed raro accidit.

5. Dico tertiò, si peccatum vertitur in damnum
alterius, præcipue boni communis, etiam si occultum
sit, potest, moraliter loquendo, statim denun-
tari omittendo duos primos actus, nisi fortasse
esset certa, & firma spes, per illos posse subueniri
bono communi sufficienter. Ita D. Thomas art.
7. & Caiet. Richard. in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1.
Palud. quæst. 4. Durand. 4. Adrian. in 4. ante ma-
teriam de matrimonio in posteriori part. quæst. de
correctione, Castro 2. de iusta hæreticorum puni-
tione capite 23. Nauarr. in Manual. cap. 15. num.
33. Sotus de secreto regen. memb. 1. quæst. 4. Ratio
est, quia bonum commune est præferendum, & illi
sufficienter prouidendum, etiam cum aliqua infam-
ia proximi, præcipue quia ipse voluntariè lædit
bonum commune, & ideo licitum est quasi via de-
fensionis illud tuere, & cum damno eius. Huiusmo-
di peccata sunt proditio patris: publica subordina-
tio in officiis prouidendis, ut dentur indignis cum
magno detrimento Reipublicæ: peccatum hæresis,
quod ut *Cancer Serpis*, secunda ad Timoth. secundo, &
similia. Addidi verò vltimam partem conclusionis
cum D. Thoma, & cæteris in 4. dist. 19. ex illo fun-
damento, quod charitas obligat ad subueniendum
communi bono, cum minimo damno priuati: ergo
si potest illud defendi, & hoc vitari, utrumq; facien-
dum est.

6. Dices, ergo nulla est differentia inter hæc pec-
cata, quæ sunt contra commune bonum, & reli-
qua: par est quia si in vtrique est spes fructus, præ-
mittendi sunt primi actus, si verò non est talis spes,
in omnibus possunt omitti. Neganda tamen est
consequentia, & prima differentia sit, nam cum
intercedit commune bonum, oportet, ut spes fru-
ctus sit certissima, & præsentanea, & sufficienter
prouidens, non solum in præsens, sed etiam in fu-
turum. Ita explicat Richardus distinctione 18. arti-
culo tertio, quæstione prima, & ratio sumitur ex
obligatione ad commune bonum, & eius præstan-
tia: in aliis verò sufficit spes probabilis, imò satis
est non habere rationem ad desperandum. Hinc se-
cundò sit, in prioribus peccatis talem spem esse ra-
rissimam, & ideo morale regulam esse, in illis
posse sumi initium à denuntiatione, præcipue, quia
qui in hæc peccata incidunt, rarissimè corriguntur:
quod præcipue locum habet in peccato hæresis, ma-
ximè quando intercedit aperta contumacia, nam
qui sic peccat, iam non audit Ecclesiam: vnde iam
transgreditur totum ordinem correctionis fraternæ,
de quo Castro multa supra, & Simanch. in institut.
lib. octauo. & Cano lib. duodecimo. de locis capit.
decimo nono. Neq; obstat illud ad Titum 3. Hære-
ticum hominem post vnam, aut alteram admonitionem deu-
nit. Nam, ut quidam volunt, illud fuit tunc præ-
ceptum Apostolicum, & expediens eo tempore, quan-
do non erat adhuc stabilita fides. Nunc autem po-
test aliud expedire: sicuti videmus in cohabitatione
coniugis fidelis cum infideli, quæ nunc prohibe-

tur, cum olim à Paulo permitteretur. Sed melius
dicitur, si confiter, hæreticum esse verè hæreticum,
& pertinacem, nam illum esse semel, & iterum ad-
monitum à tota Ecclesiâ, & ideo statim esse deu-
nitandum, & denuntiandum, si autem non confiter, il-
lum ex pertinacia, sed tantum ex ignorantia etiam
culpabili errare, tunc posse admoneri, ut ait Chry-
sostomus eo loco Pauli: quantis re vera ibi sermo
non sit, ut supra exposuimus, ad priuatas personas,
sed ad Prælatos, neq; de denuntiatione, sed de ex-
communicatione, quam præcedit admonitio. Ter-
tiò noranda est alia differentia: nam cum delictum
proximi non est contra commune bonum, semper
perfititur in ordine correctionis fraternæ, & de-
nuntiationis Evangelicæ: quando verò est contra
commune bonum, quasi transgredimur hunc ordi-
nem, & pertranamus ad denuntiationem iudicia-
lem, vel saltem misicemus illam, quia non emen-
dationem fratris, sed commune bonum per se in-
tendimus. Et ita tunc fit denuntiatio superiori, ut
iudici, vel absolute simpliciter: ut eo modo, quo
iustè potuerit, siue ut pater, siue ut iudex prouideat
bono communi, & deus animaduertat, & vigilet.
Et hinc etiam est quartò, quod in prioribus delictis
merè priuatis, denuntiatio non debet fieri sine ali-
quo teste, tamen in iis, quæ sunt contra commune
bonum, interdum expedit admonere superiorem,
etiam si nullus sciat præter me, quia est valde neces-
sarium bono communi, ut superior sciat, & possit
vigilare.

7. Sed quid si peccatum proximi est in nocu-
mentum priuatarum personarum, ut si alteri paratur mors?
Respondetur, certum esse, charitatem obligare et-
iam ad subueniendum priuato proximo, quantis
non eguè ac bono communi, & ideo hic magis pro-
uidendum, ut vni subueniatur cum minimo de-
trimento alterius, tentanda ergo est admonitio
secreta, si est spes, quia, & id facilius esse poterit,
cum hæc peccata non semper proficiantur ex ma-
gna corruptione morum, & pro ratione pericu-
li, & damni, magis, vel minus certa spes suffi-
ciet. Quod si hæc via non habet locum, & infa-
mandus est aliquando proximus, comparanda
sunt detrimenta, & regulariter præferendum ius
innocentis, & illi fauendum, nam cæteris paribus,
imò cum aliqua inæqualitate defendere licet inno-
centem etiam cum damno aggressoris, Capit. *Qui
cum de furtis*. Ratio est, quia, ut disp. sequenti sect.
4. num. 20. dicemus, innocens præferendus est in
ordine charitatis. Infamia verò alterius quàm mi-
nima sit, maximè est curandum: in aliquo autem
casu, quando magna esset inæqualitas, ut si perso-
na peccans in magna esset æstimatione, & dignita-
te, & eius infamia esset illi grauissimum damnum,
nocumentum autem alterius esset parui momenti,
tunc dissimulandum est: quod ex prudentia pen-
det. Inferes: ergo si Petrus est homicida occultus, in-
stantia; mus, & tamen Paulus propter suspicionem, vel fal-
sos testes propter idem homicidium morte dam-
nandus est, tenebor, vel saltem licebit mihi reuelare
homicidam, ut liberem innocentem. Respon-
detur. Si is homicida per calumniam esset causa pe-
riculi alterius, erit illatio concedenda: si verò in ea
re Petrus est innocens, sed aliunde ortus est falsus
rumor, erit neganda, quia non est subueniendum
proximo cum tanto periculo, vel damno alterius,
qui re vera in illo secundo periculo est innocens:
vnde neq; ipse tenetur se prodere, secus verò esset, si
erimen esset probabile in iudicio, & aliquis vellet
procedere via accusationis, posset enim tunc proce-
dere, seruato ordine iuris.

8. Dico quartò. Quando peccatum fratris est
omnino occultum, & in nullius tertiarum personarum de-
trimentum vergit, tunc ex precepto charitatis ser-
uandus est ordo, ut ante denuntiationem præce-
dat

Probat
author.

Peccatū oc-
cultū quid.

Obiectio 1.
expeditur.

Obiectio 2.

Solutio.

Obiectio 1.
De ordine
correctionis
fraternae in
religionib.
De qua re
quod no-
stram socie-
tate author
in 4. tom. de
Religionib.
Responsio
trinembris.

1. Membrum
de delicto de
quo inquitur.

dat secreta admonitio, si sit spes fructus. Habetur ex Augustino capite. Si peccauerit, & cap. accusatio. & cap. si quis. secunda, quæst. 7. Ratio est, quia tunc mutando ordinem, sine causa infamatur proximus. Item, quia ex prima conclusione hic ordo est in præcepto. Dicitur autem in proposito peccatum occultum illud, quod non est notorium, neque generat publicum scandalum, quantum ab aliquibus sciatur, imò licet sit aliquis rumor. Ita exponunt Authores qui rectè concludunt hanc obligationem genere suo esse ad mortale, ut habetur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. Sylvestro verbo *Correctio* §. 5. & verbo *denuntiatio* Angel. eisdem verbis, Paludano in 4. distinct. 19. quæst. 4. Et Soto supra quæst. 4. conclus. 3.

9. Sed contra primò, nam Deuteronom. 5. dicitur. *Qui audierit vocem iurantis, nisi induxerit, portabit iniquitatem fratris.* Responderetur ex Augustino ibi, & habetur capit. hoc ut videtur. 2. 2. quæstione 5. Scripturam sacram non explicuisse, cur indicandum sit, quia nimirum illi est indicandum, qui potest prodelle, & non obesse, & si solus ille scit, illi soli, qui peccat per correctionem secretam indicandum est.

10. Sed contra secundò. Nam Episcopi, & Inquisitores sæpe per edicta publica præcipiunt sibi denunciari crimina, seu secula, seu publica, quæ sæpe non sunt contra commune bonum, & quod hoc sit iustum patet ex usu, & quia expedit communi bono: ut talia peccata non maneant impunita. Respondetur in hoc observandum posse hic simul coniungi viam Inquisitionis, & si tales superiores iuridicè interrogent, observandum, An scilicet præcelserit publica infamia, vel sufficiens rumor, ut exponit D. Thom. art. 7. ad 5. tunc enim tenetur quis denunciare, & respondere, & non attendere ordinem correctionis fraternæ, quia non proceditur illa via, & superior utitur iure suo in ordine ad commune bonum. Solum interdum posset explicari intentio eorum. Nam si delictum quantum aliquando fuerit publicum, iam est omnino emendatum, & non est periculum, moraliter haberi potest tanquam non commissum, & credendum est, non esse eorum intentionem, & hoc delicto interrogare, nisi illud expresse dicant. Nam si hoc faciant, obediendum esset, quia utuntur iure suo. Si verò delicta non sint talia, ut via inquisitionis possint de illis interrogare iuridicè, tunc credendum est eos procedere secundum ordinem correctionis fraternæ. Et hic est servandus, ut D. Thomas in solutione ad 5. explicat, neque aliud expedit, aut necessarium est communi bono, cui sufficit, ut publica delicta puniantur, & ocula convenienti ordine charitatis cohibeantur. Neque enim per se loquendo habent superiores ius ad puniendâ peccata occulta.

11. Sed contra tertio. Nam in Religionibus non servatur hic ordo correctionis fraternæ, & (ut dicitur) in constitut. Dominican. habetur immediate esse denuncianda delicta superiori, & idem habet Bonaventura in exposit. regulæ sancti Francisci. Respondetur etiam in Religionibus servandum esse charitatis ordinem, tamen diverso modo pro diversitate status, & circumstantiarum, quæ in ea occurrunt, itaque servandæ, & applicandæ sunt regulæ generales. Nam, vel denuntiatio fit, superiore ipso sic interrogante: vel quasi ex proprio officio denunciandi, & propria sponte. Si priori modo: observandum est, An in tali religione iuxta institutum, & consuetudinem eius, via inquisitionis iuridicè servatur, & tunc observandus est etiam in respondendo ordo iudicium. Nam si iuridicè interroget, respondendum est ad superiorem, & ad eius mentem: si verò non iuridicè interrogat, quia scilicet est occultum crimen, ratio charitatis ha-

benda est, sicut etiam quando propria sponte fit denuntiatio, & tunc applicanda est secunda conclusio. Nam si delictum est contra commune bonum religionis, statim est denunciandum: Vbi advertendum est, ut peccatum aliquod religiosi iudicetur graviter perniciosum religioni, non oportere, ut sit crimen hæresis, vel proditio, &c. Sed satis est, si ex illo grave scandalum oriatur ipsi religionis, & grave voco non solum, quod ad mortalia peccata inclinat, sed quod in causa est, ut multi remissæ, & cum frequentibus defectibus vivant: nam hoc sine dubio pro ratione status est grave damnum, multo magis, quam sit infamia vnius religiosi circa suum superiorem: ac simile est si sit morale periculum, ut ex tali peccato gravis oriatur infamia corpori religionis, & similia.

12. Tertio si peccatum sit omnino privatum, regulariter loquendo, etiam censetur licet illud immediate dicere superiori, quia si leve est, levis est etiam infamia, & magna est utilitas ei, qui denuntiat. Item similis consuetudo est valde consuetanea, & ferè necessaria huic statui, ut possit proficere. Si verò est gravis delictum, vix fieri potest, ut non noceat multis propter magnam familiaritatem, & communicationem inter religiosos eiusdem domus, sæpe etiam est grave periculum infamiae totius religionis, & deinde vix potest esse rationalis spes emendationis perfectæ, sine superiore, quia aut religiosus peccat ex malitia, & consuetudine, & tunc per se parat difficultas: si ex fragilitate, oportet tollere occasiones: illis enim manetibus non potest existimari firma emendatio. Illæ autem tolli vix possunt absque superiori. Accedit, quod cum religiosi proficiuntur religionem, vel tacite, vel expresse renuntiant aliquo modo iuri quod habere possunt ad huiusmodi famam, & ordinem. Tacite quidem: quia hoc ipso, quod proficiuntur perfectionem, & efficiuntur membra corporis, quod ad illam tendit, volunt secum agi illis mediis, quæ illi fini sunt magis consentanea. Præterea, quia sicut se totos, & omnia sua deducunt religioni, ita ipsa potius, quam illi habet dominium famæ eorum. Explicite autem si fortasse in religionis instituto id expresse continetur: quod non est contra charitatem, quia licet inepte, & sine causa, infamare se, aut permittere se infamari sit illicitum, tamen cedere alicui famæ propter maius spirituale bonum, & proprium, & communitatis, est valde rationi consentaneum: præcipue cum huiusmodi infamia fere nulla sit, ut in proposito, & hoc sensu habet verum sententia Richardi in 4. distinctione 19. quæstione illa prima dicentis in religionibus non servari necessarium hunc ordinem. Idem habet Angelus verbo *denuntiatio* numero decimo. & dicit esse communem, & est plane sententia Divi Thomæ partim citato articulo septimo, clarius quodlibet 11. articulo 13. Quæ tamen omnia regulariter intelligenda sunt: non quia hoc præceptum non obliget omnes, etiam religiosos, sed quia affirmativum est, & in eo statu raro occurrunt omnes circumstantiæ, cum quibus obligat ad illum ordinem. Si tamen in aliquo casu occurrerent non est dubium, quin obligaret, ut etiam Divus Thomas ibi docet, & Basilus in quæstionibus longioribus, quæstione 46. & Augustinus epistola 109. Ratio est, quia charitas omnes, & ubique obligat, & nullus cedit iuri charitatis, quocirca notanda sunt verba Divi Thomæ in citato quodlibet. in fine corporis quia propter varias circumstantias (inquit) non potest certa regula assignari, ideo habendum pro regula est, quod in omnibus istis servanda est charitas, & quod melius, & magis expedire videtur, & si hoc intendat scilicet emendam fratris, & servet, quantum potest, bonum charitatis tunc denunciandum non peccat.

13. Ex hac conclusione colligitur primò. Si pri-

2. Membrum
de delicto
omnino oc-
culto, sed
contra com-
mune bonum.

1. Membrum
de delicto
privato.

Obiectio
1. Thom.

1. Cor.
1. tom.
1. tom.

1. Cor.
1. tom.
1. tom.

mus actus correctionis non fuerit, vel non speratur utilis, non statim tentandam esse denuntiationem, sed prius esse tentandum secundum actum, & adhibendos testes, si tamen sit spes. Hoc clare constat ex rationibus allatis. Unde ex rationibus una est, quod non potest quis legitimè denuntiare, nisi possit aliquomodo probare, ut colligitur ex Evangelio: & habetur cap. *Inquisitionis*. De accusationibus. Ratio est, quia sine ulla probatione prælati non tenetur, nec debet fidem adhibere, atque adeo nec suo officio fungi. In hoc tamen ferè sufficit unus testis, quia ipse denunciatus admittitur tanquam alius testis, ut habetur in capitulo. *In omni negotio de testibus*, & colligitur ex Evangelio ibi. *Unum vel duos testes*. Ratio est, quia non tendit hoc negotium ad vindictam, sed solum ad commodum, & emendationem.

14. Duo tamen observanda sunt. Primum interdum esse peccatum notum alteri vni, vel multis, & tunc in corrigendo testis est adhibendus ex his, qui nouerunt delictum, ut vitetur noua infamia: interdum verò unus tantum delictum nouit, & tunc quidam voluerunt, si priuata correctio non sufficit, esse cessandum, neque esse adhibendos testes, ita Alti-fiod. lib. 3. summæ tract. 25. cap. 2. Durand. in 4. dist. 19. Quia non potest infamari frater in crimine omnino occulto, & quia talium testium indutio esset inutilis, quia illi non possunt postea coram prælato testificari cum ex solo corrigente delictum nouerint. Contraria tamen sententia certa est, & communis, colligiturque ex illo verbo Evangelij, *Adhibete coram &c.* Ratio est quia hæc fama proximi postponenda est bono animæ eius, ut iam dicam, & quia non est inutilis talis indutio: nam primum adhiberi possunt testes, ut obseruent, & videant peccatum alterius, ut ex Evangelio colligitur. Nec hoc est (ut inquit August.) *obseruare fratrem*, sed est medium necessarium, & commodum salutis eius adhibere: deinde quando hoc fieri commodè non posset, adhibetur saltem ut testes correctionis. Primum ut frater magis erubescat, & si neget opus suum esse peccatum, testibus conuincatur, ut D. Thom. dicit, citata q. 33. art. 8. ad 3. Item, ut is qui corrigit possit probare effecisse, quod in se erat. Item, ut alter coram testibus cognoscat peccatum: nam tunc esse poterunt testes in denuntiatione, sed in hoc cauendum est, ut si unus testis sufficiat, non adhibeantur duo, propter eandem rationem, vel vitandæ, vel minuendæ infamie.

15. Secundò observandum est ex D. Thom. citato art. 8. ad 4. eum testem, quem adhibeo, posse esse ipsum prælatum, & superiorem, non ut superior est, sed ut priuata persona, quia ipse potest existimari vilior ad effectum secretæ admonitionis. Item quia pauci sunt, qui seruunt secretum, & de superiore id facilius credi potest, nimirum non infamatum subditos apud alios. Sed in hoc est prudentia seruanda: nam in indiuiduo fortasse magis irritaretur proximus. In eo tamen casu si alter emendari nolit, superior procedere non potest, nec superioris actum exercere, nisi fortasse peccatum sit contra commune bonum, tunc enim recurrit 3. conclusio posita num. 5.

16. Vltimò principaliter colligitur in hoc genere delictorum tunc deum licere immediatè denuntiare peccatum fratris prælato, prætermisiss duobus prioribus actibus, quando de eorum utilitate non est spes. Ita D. Thom. & omnes. Ratio est, quia ut ex Evangelio constat, quando per priores duos actus non consequimur effectum, denuntiandum est: ergo si illi creduntur futuri otiosi, prætermitti possunt. Et confirmatur, quia utroque modo infamatur aliquo proximo circa prælatum, & illud postponitur propter bonum animæ in vno casu: ergo in altero. Sed contra. Non enim faciendæ sunt mala propter bona, sed infamare proxi-

mum est per se malum: ergo. Respondetur detractio nem quidem esse per se malam, tamen manifestationem peccati proximo non esse per se detractio nem neque intrinsecè in malam, unde licet ea uti tanquam medio necessarii ad maius bonum proximi, quam sit conseruatio famę ipsius apud superiorem, seruatis tamen debitis circumstantiis, ut dictum est.

17. Dubitari autem potest, si speretur emendatio fratris per priores actus, tamen per prælati emendationem speretur cum multo maiori fructu, at tunc liceat statim denuntiare? Soto negat, quia non possum mutare ordinem charitatis, nec ledere proximum in fama, propter utilitatem, sed propter solam necessitatem. Richard supra art. 4. affirmat & D. Thom. in dict. quodlib. indicat, quia illud maius spirituale bonum præferendum est, si cui medi-cus corporalis prudenter utitur acerbiori medicina, quamuis non sit valde necessaria, si tamen esset valde utilis. Nam religiosi instituti est ad perfectionem tendere, sanctè igitur potest a se aliquod institutum ob maiorem subditorum spiritualem profectum, cum illud suscipiunt, ab eis exigere, ut sint contenti, ut eorum defectus, omiſsa fraternæ monitione, ad prælatum patere deferantur. Itaque hæc sententia secunda ferè semper in religionibus est sequenda. In aliis verò, qui magis sunt sui iuris, & magis pendunt ex fama, vel infamia, & minus tenentur ad maiorem, & spiritualem fructum, non est facillè illa vtendum, nisi in eo casu, in quo timeatur probabiliter de perseveranti emendatione, vel certè ille maior fructus sit notabilis.

18. Circa duos actus ultimos, qui ad superiorem spectant, solum est aduertendum, post factam denuntiationem, superiorem non posse iuris ordine procedere, nec interrogare iuridicè, quia totum hoc forum est secretum. Item nunquam potest à secundo actu incipere omisso primo, quia non potest excommunicare, nisi supposita contumacia; igitur debet prius corripere, & si subditus emendatur, cessat ordo iudicialis, nec potest punire delictum ut iudex, imponendo videlicet poenam à iure statutam. Potest tamen aliquam poenitentiam arbitriam iniungere, ut putat Soto de tegendo secreto, memb. 2. quæst. 4. conclusione 7. Si vero non consequitur intentum per primum actum, procedere potest ad excommunicationem, si est spes; si verò non sit, cessare debet, nisi velit tentare aliam viam inquisitionis, vel denuntiationis &c. quando habet media, quibus iuridicè id fieri possit.

DISPUTATIO IX.

De ordine circa personas seruando in precepto Charitatis, & Misericordie:

DE hac re disputat D. Thom. variis in locis, ut 2. quæst. 26. & 31. art. 3. & 32. art. 9. & 44. art. 6. Sed commodius in hoc vno expediatur; explicata enim substantia horum preceptorum, facilius intelligitur ordo: & quia misericordia non habet locum erga Deum, & amor illi debitus essentialiter includit ordinem, quem iam exposuimus disput. 2. sect. 3. ostendendo Deum esse super omnia diligendum, ideo solum comparabimus, & diligetrem ad se, & ad alios proximos, & ipsos proximos inter se. Et quia hic ordo positus est in appretiatione, quia à vobis ferè explicari non potest nisi per actus, & beneficia externa, ideo rectè explicatur simul ordo in amore, & in beneficentia, seu misericordia, comparando nimirum hos actus ad varias necessitates hominum, tam in spiritualibus bonis, quam in temporalibus.

SE-

Quæstion-cula

Partem negatiuam sequitur Soto.

Affirm. Richard. & indicat D. Thom.

Authoris iudicium.

De duobus actibus ultimis ex propositis initio quæstionis.

Consecutio huius disputationis in initio sectionis 4. disp. 1.